Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8446
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

tulis gaudijs totus in orbe terrarum mundus exultat. Sed et superne virtutes atque angelice potestates ymnum glorie tue concinunt sine fine dicentes, Infra

Communicantes + de ascensione.

Sacratissimum pentecostes mysterium. Dominicantes celebrantes quo spiritus sancti apostolis in muris linguis apparuit. Sed et nunc, Hanc igitur oblationem seruitutis nostre sed et cunctae familiae tuae quam tibi offerimus pro hijs quoque quos regenerare dignatus es ex aqua et spiritu sancto tribuens eis remissionem omnium peccatorum. Per dominum. Deinde Trinitate. Postcanon.

Vere dignum. Qui cum unigenito filio tuo et spiritu sancto unus es deus unus es dominus non in unius singularitate personae sed in una trinitate substantiae. Quod enim de tua gloria reuelauit te credimus hoc de filio tuo hoc de spiritu sancto sine differentia discretionis sentimus. Vt in confessione veae sempiternae deitatis et in personis proprietas et in essentia unitas et in maiestate adoretur aequalitas. Quam laudant angeli adorant dominationes tremunt potestates. Celi celorumque. Debita virginitate. Postcanon.

Vere dignum. Et te in veneratione hujus mysterii semper virginis collaudare benedicere et predicare. Quae et virginitatem tuam sancti spiritus obumbratione concepit et virginitatis gloria permanente lumen aeternum mundo effudit iesum christum dominum nostrum. Per quem. Postcanon.

Aequum et salutare. Te domine supplicat exorare ut gregem tuum pastor aeterne non deseras sed per beatos apostolos tuos continua protectione custodias. Vt hisdem rectoribus gubernetur quos operis tui vicarios eidem constituisti esse pastores. Et ideo. Postcanon

Per omnia secula seculorum. Amen. Dominus vobiscum. Sursum corda. Gratias agamus domino deo nostro.

Vere dignum et iustum est aequum et salutare. Nos tibi semper et ubique gratias agere. Domine sancte pater omnipotens aeterne deus. Per christum dominum nostrum. Per quem maiestatem tuam laudant angeli adorant dominationes tremunt potestates. Celi celorumque virtutes ac beata seraphin socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti iubeas deprecamur supplici confessione dicentes.

Sanctus Sanctus sanctus dominus deus sabaoth. Pleni sunt celi et terra gloria tua. Osanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine domini. Osanna in excelsis.